Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1047
Quelle:
Copyright:

edit. *Maur. Pariſ.* 1705. *Epiſtolar. L. XI. n. 64. col. 1150.* Verum in *Cod.* noſtro tantum *Interrogatio* V. VI. VII. X. et XI. repraeſentatur. Quoniam vero Priores III. circa Matrimonii Impedimenta et Conſanguinitatis, Adfinitatisque Gradus verſantur, adpictum eſt ſub finem elegans *Schema*, cujus duo Circuli medii maximi ſex Gradus generis Paterni et Materni aſcendentes et deſcendentes exhibent, ſex vero Circuli laterales minores Effata ſive Canones *Calixti*, *Gregorii*, *Julii*, iterum *Gregorii*, *Nicolai* Pontiff. et *Iſidori* Ep. *Hiſpal.* continent. Circulus maximus Medium Schematis ambiens hac utrinque gaudet inſcriptione:

Humani generis medii de limite finis
Ut liceat nulli proprio cum ſanguine iungi. Et:
Sex patet eſſe gradus miro diſcrimine iunctos
Surſum ſcandentis uel in inferiora cadentis.

XXIV. *fol.* 122. p. 2. Confeſſio Trinitatis στιχηρως ſcripta absque Titulo, cui recentior manus impoſuit: *Victorini afri viri conſularis ὑμνος.* Extat Viri hujus, Scriptoris Sec. IV. Rhetoris *Rom.* in ſenio ad Chriſtum converſi *Hymnus I. de Trinitate* in *Bibl. PP. Lugd.* T. IV. p. 294. cujus ſolus Verſus *primus* cum noſtro convenit:

Adeſto lumen verum Pater omnipotens Deus.

Sed video *Andr. Rivinum* in *Reliquiis Duúm Victorinorum*, *Gothae* 1652. 8. *Tres* ejusmodi *Hymnos* edidiſſe, neque tamen dicere poſſum *Noſtrum* in iis connumerari, cum *Reliquiae* illae ad manum non ſint. Ceterum ex eo bona pars *Antiphonarum*, quae in *Feſto Trinitatis* hodie ad *Matutinum* leguntur, depromta eſt. Proſequitur ille:

Adeſto lumen de lumine uerbum.
et filius dei. deus omnipotens. &c.

Et finit: *O. B. T. Tibi laus. tibi gloria. tibi gratiarum actio. in ſecula ſempiterna.*

XXV. *fol.* 123. p. 2. *Fl. Albini* ſeu *Alcuini Liber de Virtutibus et Vitiis* ἀνεπιγραφως, niſi quod manus recentior praefixit: *Alcuini ad Guidonem comitem Enchiridion* του παναγετου. Praeit Elenchus Capitum XXXV. *Peroratio* enim *Operis* non eſt computata.